pietate largiri velit eo eternaliter frui qui est in secula benedictus etc.

Accipe nunc pater metuende que iam dudum attingere variis doctrinarum viis concupivi sed prius non potui quousque in mari me ex Grecia redeunte credo superno dono a patre luminum a quo omne datum optimum ad hoc ductus sum ut incomprehensibilia incomprehensibiliter amplecterer in docta ignorantia per transcensum veritatum incorruptibilium humaniter scibilium quam nunc in eo qui veritas est absolvi hiis libellis qui ex eodem principio artari possunt vel extendi. Debet autem in hiis profundis omnis nostri humani ingenii conatus esse ut ad illam se elevet simplicitatem ubi contradictoria coincidunt in qua laborat conceptio primi libelli; secundus ex illo pauca de universo supra philosophorum communem viam elicit rara multis et nunc complevi finaliter tertium de Ihesu superbenedicto libellum ex eodem semper progrediens fundamento et factus est michi Ihesus dominus continue maior in intellectu et affectu per fidei incrementum. Negare enim nemo potest Christi fidem hunc qui hac via in desideriis aliquo non instituerit ita ut post longas meditationes et ascensiones dulcissimum Ihesum solum amandum videat et cum gaudio omnia linquens amplexetur ut vitam veram et gaudium sempiternum. Talis intranti Ihesum omnia cedunt et nichil ingerere potest difficultatis neque scripture neque hic mundus quoniam in Ihesum hic transformatur propter inhabitantem Christi spiritum in eo qui est finis intellectualium desideriorum. Quem tu pater devotissime supplici corde

pro me miserrimo peccatore assidue exorare velis ut pariter eo frui eternaliter mereamur.

Expliciunt libri de deo inamabili [?] et libri tres de docta ignorantia anno etc. l° iiii° etc.

Abb. 249 Dom., Cod. 6/6, fol. $90^v$—$91^r$ (Nr. 28) 1454